ORATIO EX TEMPORE HABITA, A FRATRE PETRO PAULO DE VALLE ROM...

Roma, Pietro Paolo Della Valle



AD S. D. N.

SIXTVM QVINTVM

PONT. MAX.

S. P. Q. R.



ROMAE,

Apud Paulum Bladum Impressorem Cameralem.
M D X C.

ORATIO EX TEMPORE HABITA,

a Fratre Petro Paulo de Valle Rom. ord. min. S. Francisci de obs. Theologo Illustrissimi & Reuerendissimi D. Ascanij S.R.E. Cardinalis Columnę, ac sacræ Theologiæ Lectore,

Apud Almæ Vrbis Celebre Templum Sanctæ Mariæ de Aracęli, mandante & astante Senatu Populoq. Romano,

In die quo vltimo lapide suprapposito, admirandus Tholus Apostolorum Principum, cum vniuersali Vrbis lętitia fuit absolutus.



EN (Quirites?) finis tantum à Parentibus exoptatus, en commune dictum in prouerbium à vobis receptum extinctum; dum desperatum factum, linguæ calamo in simplicissimorum auribus scribebatis; tunc dicendo huius erit rei finis, cum in alta mole aram Apostolorum Principum coronante, vltimam petram repositam quis aspiciet? Et en nunc nunc hanc mihi prouinciam demandatam, vt hilari fronte, sereno vultu, voce tonante, Senatum, Populumq. Romanum, Romano more, moribusq. Priscorum præstantem, sibi gaudere, Sixto gratulari, & Deo gratias referre, pronunciem, quod vltimam ostendat hodie nostris oculis supra altissimum Tholum repositam petram; quæ quanto sicca, tanto præceteris in oratio-

 nis,

nis pompa illustratis, attentiores reddit auditores? Verum sicca etiam Orphei imagine laureata erat petra, & humidissima, repentino oculorum ictu Alexandri Magni percussa, suæ maiestati se obtulit; factum non temere, nec inconsulto numine, Aristandez Sacerdote augurante, Nam iure optimo fit, vt qui inaudita gessit, mirabilia fecit, incredibilia est operatus; incredibili, mirabili & inaudito conatu, antiquitatum iactatores conarentur facta & gesta posteritati celebrare. Sed nunquid Orpheus ego? num petra Orphei figuram gerens? num Alexandri vos Senatores? num ex sicco sasso humidissimos fontes expectatis? Equidem negabit nullus; immo fidem ni quis suam prodeat, contendet quidem, me petram esse, Petri cum sim nomine signatus; vosque Alexandros, Alexandri togis togatos: & quantus pauor, formido, tremor, titubatio, animi pulsatio & sudoris abundantia abundauit in frigida, siccaq. Orphei petra, tantus superabundat in ista Petri Petra, cum de sicca vltima, eleuata hodie supra cacumina montium petra, humidissimas eloquentiæ aquas vestro aperto aurium ori inducere conabor: compensabunt tamen omnem meam dicendi vim piæ vestrum aures, quas præstandas spero, dum digito potius aliquo Priscorum facta monstrabo, quam singula ad vnguem penicillo exprimam. Voluat igitur, voluat, quin? reuoluat antiquarius qui se iactarit, accerrimusq. rerum æstimator vetustatis è primoribus

ribus æui monumentis; excitet Romanorum præclare gesta, ad propellenda petulantium, infestorumq. hostium tela, quibus Rempublicam ne dum adoriebantur & oppugnabant, sed omnino euertere machinabantur, Perquirat Imperia, Regna, Prouincias, Ciuitates, Castra & Oppida, solo nomine Romano fortitudinis veste induto, humiliata, victa, vincta & subiugata: Enumeret digito, (si placet) Herculi primam aram ab Euandro in foro Boario extructam, Tarquinij superbi Templum Ioui ædificatum, ædem Mercurio dedicatam, domum Fortunæ consecratam, ædificium Iunoni oblatum, Obeliscos quadraginta duos minores, octoue maiores, Remigium multitudine leuibus Neptuni Rotis ex Ægypto ad Imperatorum memoriam posteritati perpetuo conseruandam inuectos: Theatra, Circos, Trophæa, Pyramides, Columnas, & innumera alia, quæ ipsa ruta, ac cæsa Romam veterem spirant, tanquam scintillæ Priscorum splendores emittunt, & veluti ossa in campo dispersa magnæ matris (Romam dico) prædicant ignaris: Addat, addat etiam Titi Amphytheatrum, Caueam, Arenam, vel (vt moderno nomine vtar) Colosseum; cuius Architectura animos admirando cibat, sed non replet; satiat tamen Tholus in honorem Principum Apostolorum à Iulio II. primâ fundante petram inceptus, Leone X. Adriano VI. Clemente VII. Paulo III. Iulio III. Marcello II. Paulo IV. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. alijs multis superadditis; & à Sixto

V. Sixti

V. Sixti IV. primi fundatoris patrui nomen & amorem gerente, inenarrabili expenso thesauro, pecunijsq. minime parcente, ac adiuuante ingenio eximij nostræ ætatis Architecti Iacobi de porta, in finem vltimo hodie reposito lapide redactus. Testis sit alta moles; si quis vestrum pedes in fundamentis fixit, caput eleuauit, oculos freno nō retinuit; haud vltimum hodie ingentem lapidem repositum cernet. Testis sit gētium infinita multitudo laborantiū, Testis annorū numerus octuaginta septem, nunquā prius à priscis in altero ædificio consumptorum. Testis longitudo, latitudo, specularumq. multitudo, in longū Salomonis templū superans, & testes vos omnes Quirites, diem præceteris hodiernum celebrātes, luminibus accensis, crematis cupis, volantibus radijs, strepitantibus armis, tonante ad bella parato instrumento sonante tuba, phialis, citharis, & instrumentis omnibus, sociante canora voce; gestientibus pueris, ridente iuuentute, laudante clero, psallente religione, & offerente Senatu Populoq. Romano. Signa publicæ confessionis talia nunquam legisse, audisse, nec vidisse à Cæsare facta Romę. Signa quod maiori iure cantanda sunt de Sixti, quæ de Cæsaris opere canebat Martialis.

Omnis Cęsareo cedat labor Amphitheatro
Vnum prę cunctis fama loquatur opus.

Signa si altiora oculis suæ prudentiæ Sanctissimus Pontifex aspiranda, tentanda, & attingenda, in decus, gloriam & honorem Vrbis viderit; non mi

nutos

nutos animos habere Quirites Romanos. Hæc fuit orbis vna ciuitas, & hæc vna erit ab omni æuo in terris, si in longæuum cõseruabit Altissimus Sixtum. De septem collibus vmbre iam ceciderant, & septem ecce restauratos in vno altissimo colle supra Vaticanum à Sixto firmato. Sed quid dico? latrocinia quis sustulit à te Roma? Sixtus. Quis annonæ caritatem subleuauit? Sixtus. Quis mores emendauit? Sixtus. Quis vias nouas in Vrbe strauit? Sixtus. Quis ædes Lateranas magnificentissime restituit? Sixtus. Quis aquas vberes in Vrbẽ induxit? Sixtus. Quis veteres Ecclesiæ cæremonias renouauit? Sixtus. Quis Deorum statuas e Capitolina turre deiecit? Sixtus. Quis tẽpla situ collabẽtia, ac pene deserta instaurauit? Sixtus. Quis sacella ædificauit? Sixtus. Quis tanta memoriæ digna penè sepulta, oblita, ac memoriæ nostræ deperdita resuscitauit, restituit & erexit? Sixtus. Quis Crucis signum publice ad verã pietatem religiose spectari mandauit? Sixtus. Quis alta mœnia Romę à Tyrannorum peruersa volũtate defendit, nisi ærariũ conseruans auro plenũ Sixtus? Quis tandem quod non fecere mille, fecit vnus, cingens pretiosa corona principum Apostolorum corpora, quæ non solum vrbi, sed orbi refulget, nisi Sixtus? & nimirum, cum hæc sit ab alto reseruata palma Sixto: Nam fune cincto (sancto inquã Francisco) Vade repara domum meam quæ illabitur, Altissimus dixit. Viuat viuat igitur Sixtus, vt semper viuat Alma Roma: Conseruet Altissimus Sixtum, vt conserua-

ta,

ta, ac defensa sit Roma; non pereat Sixtus, ne pereat simul Roma. o ter quaterq. Felix, Felicissime, Sixte, o qualem statuam, quantamue columnam tibi faciet pro tanto opere Senatus Populusq. Romanus? Hoc vere est decus huius Reipublicę. hoc erit imago quæ statim animis representabit vrbem illam primam Romę, potētiam non extinctam ostendet, contaminata auspicia ad veros cultus, veramq. Religionem, tanquam vasa quæ manus rapuere Hebrææ translata; omnia. Romana, iugo Christi subiecta, & paruam Petram in montem magnum eleuatam, dum catenis primo vinctum, in carcerem ductum, detentum, & à cruente Nerone necatum Petrum, in mentem pia mens reuocabit; & nunc tam excelsa corona humilissima ossa coronata, qua, nunquam superba ceruix Neronis fuit; at ne in Nestoris annos transisse videar, meque nec centum queant sufferre Ægyptij tam longa dicendi serie; vnum tantum dicam, precans æternum; quod stet alta moles felix in æuum, stet æterno Deo, Principibusq. Apostolorum fixum Trophæum, non fatiscat ætate, mortis nescia duret in sæcula; nullo tempore finem habeat; Trinus mons tueatur, Stella matutina influat, Leo rugiens custodiat, veluti Pyrum manu potenti gerens; vt quæ de Gentili Roma Amphitheatro dicebant laureati, hæc de Christiano prædicent Christiani Romani:

Non annorum series, non flamma, nec ensis,
AEternum poterit hoc abolere decus.

DIXI.